

competit privilegium, ut ob gravem læsionem, quam alioquin pateretur, possit uti beneficio restitutionis adversus alteram ecclesiam, a qua læderetur.

46. *Una ecclesia præscribit contra aliam nonnisi quadraginta annis; et cur?* — Simile quid contingit in casu præsumptionis unius ecclesie contra aliam: quamvis enim utraque ecclesia gaudeat privilegio, quod nonnisi quadraginta annis contra eam possit præscribi, c. *Illud autem*. 8. de *Præscriptionibus*, cum similibus; sicque in genere ambæ Ecclesie sint æqualiter privilegiatæ: in casu tamen speciali, quo una ecclesia contra alteram intentat præscriptionem, hæc quidem est privilegiata, ut nonnisi quadraginta annis contra ipsam valeat præscriptio; non item altera ecclesia est privilegiata, ut possit minori tempore contra alteram præscribere. Unde pariter, re accuratius considerata, in præfato casu non concurrat privilegiatus contra pariter privilegiatum.

47. *Inter duos privilegiatos respectu ejusdem cause præfertur, qui habet potentius privilegium.* — Si vero detur casus, quod inter duos privilegium habentes, revera uterque privilegiatus existat respectu ejusdem cause, quæ agitur, tunc præfertur, qui habet privilegium potentius. Idque potest multipliciter contingere: ut primo, si unus certet de damno vitando, alter vero de lucro capiendo; tunc enim præfertur ille, qui certat de damno vitando, cit. l. *Verum*. § fin. de *Minoribus*. Secundo, si cause concedendi privilegium ex parte altera sint favorabiles, arg. l. *Privilegia*. ff. de *Privilegiis creditorum*. ibi: «Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa.»

48. *Et quid, si privilegia existant paris potentie?* — Quod si tandem cause privilegii sint omnino æquales, ipsaque privilegia paris existant potentie, tunc quando concurrunt ambo respectu tertii, pariter admittantur, haud obstante, quod unum privilegium sit antiquius altero, cit. l. *Privilegia*. ff. de *Privilegiis creditorum*. Verum inter ipsos potior est conditio possidentis, c. *In pari causa*. 63. de *Reg. jur.* in 6; Bartolus in *Auth. Quas actiones*. § *Venio ad questiones*. C. de *Sacrosanctis Ecclesiis*. Covarruvias in c. *Possessor*, part. II, § 2, n. 4, citans alios.

49. *Majorennibus etiam competit restitutio in integrum ex clausula generali: hoc est juste causa interveniente.* — Quæritur V. Utrum majorennibus quandoque competat beneficium restitutionis in integrum, et quando? Resp. I.

Etiam majorennibus (hoc est, illis, qui ætate sunt majores viginti quinque annis completis) quandoque competit beneficium restitutionis in integrum; sed ex clausula generali solum, hoc est, si justa causa eam concedendi intervenierit. Patet id ex l. I. cum seqq. ff. *Ex quibus causis majores in integrum restituantur*, juncto toto, tit. c. eod.

50. *Causæ justæ restituendi majores, enumerantur.* — Resp. II. Cause justæ restituendi majorenes, seu majores viginti quinque annis, sunt variæ, atque referuntur in jure civili locis citatis. Ex his est. I. Si quis reipublicæ causa sine dolo malo abfuerit, l. I. et IV. et seqq. ff. *Ex quibus causis majores, etc.* Idque rationabiliter extenditur ad omnem casum, quo quis vel testimonii ferendi gratia evocatus, aut ob prosequendam appellationem peregrinari coactus fuit: imo generaliter, quotiescumque quis ex necessitate, non ex voluntate abfuit, l. *Sed et si per prætorem*. 27. § fin. ff. eod.

51. *Causæ justæ restituendi majores enumerantur.* — II. Si quis in vinculis, servitute, hostiumve potestate constitutus fuit, cit. l. I. et l. IX. cum seqq. ff. eod. III. Gaudent hoc privilegio legati municipiorum, l. VIII. ff. eod. IV; milites quoque, utpote qui a signis sine periculo discedere non possunt, l. VII et l. *Milites*. 47. ff. eod.

52. *Causæ justæ restituendi majores enumerantur.* — Tandem prætor in cit. l. I. ff. eod. ponit generalem clausulam, per quam ex causa justæ erroris, vel circumventionis, aut ignorantie, vel hujusmodi pensata æquitate, quoslibet graviter læsos sese restitutum pollicetur, illis verbis: «Item si qua alia justa mihi causa esse videbitur, in integrum restitum.» Sic probata causa fraudulente circumventionis conceditur majoribus restitutio in integrum c. *Ex litteris*. 4. h. t. Similiter rusticis, et aliis hujusmodi, qui jura ignorant, neque alios consulere possunt, atque ideo graviter læduntur, ex clausula generali datur restitutio in integrum. Alexander, consil. 14. vol. II; Maranta, part. VI *Speculæ aurei*, § de *Appellatione*, n. 91. et seqq. Idemque dicendum, quotiescumque præter enormem læsionem intervenit, atque intervenisse probatur alia justa causa petendi restitutionem in integrum. Abbas in cit. c. *Ex litteris*, n. 5. h. t.

53. *Differentia multiplex inter restitutionem in integrum competentem minoribus et majoribus, assignatur.* — Resp. III. Nilominus est

notabilis differentia inter restitutionem in integrum, quæ competit minoribus vel ecclesiis, et eam, quæ quandoque indulgetur majoribus. Imprimis enim minoribus viginti quinque annis, sicut et ecclesiis, subvenitur per in integrum restitutionem jure speciali: majoribus vero ex clausula generali, «Si qua alia justa causa esse videbitur,» de qua fit mentio in d. l. I. ff. *Ex quibus causis majores, etc.*, ac notat Glossa, et Abbas ad rubric. h. t.

54. *Differentia multiplex inter restitutionem in integrum competentem minoribus et majoribus, assignatur.* — Deinde respectu minoris, vel ecclesie, sufficit probare gravem læsionem ex actu vel contractu sibi accidisse, etiamsi non probetur alia causa petendi restitutionem. Quinimo licet pateat læsionem illam contigisse ex sua facilitate, vel proprij procuratoris negligentia; ut c. *Cum venisset*. 2. et c. *Auditus*. 3. h. t. Econtra respectu majoris requiritur ulterius, quod subsit justa causa petendi restitutionem, et quod illa probetur; ut c. *Ex litteris*, 4. n. t., et notat Abbas ibid. n. 5, et communis. Ratio disparitatis est: quia minori graviter læso, ex æquitate atque officio judicis, succurritur propter ætatis aut judicij imbecillitatem, ecclesie ob favorem religionis, ac reipublicæ propter favorem publicum; ac proinde hæc cause, utpote semper subsistentes, non indigent ulteriori probatione. At vero in majoribus, præter gravem læsionem, requiritur alia justa causa concedendi restitutionem in integrum; v. g. absentia reipublicæ causa, detentio in vinculis, captivitas, circumventio sibi facta, et hujusmodi. «Non enim negligentibus subvenitur, sed necessitate rerum impeditis,» prout habetur, l. *Non enim*, ff. *Ex quibus causis majores, etc.* Cum igitur tales cause non præsumantur, neque generaliter insint, merito antea probari debent, ut restitutio in integrum majoribus concedi valeat.

55. *Differentia multiplex inter restitutionem in integrum competentem minoribus, et majoribus assignatur.* — Accedit alia differentia: nam restitutio in integrum nunquam conceditur majoribus, quando ordinarium appellationis remedium intentare possunt. Secus dicendum de ecclesia et minoribus: his enim petentibus conceditur restitutio, tamen si appellare possint, eo quod pinguius ipsis provideatur per remedium restitutionis in integrum, quam per appellationem. Illa enim obtenta non coguntur novam instan-

tiam inchoare, neque novum judicem, forte remotum, adire; prout debet fieri in appellatione. Abbas c. *Tum et litteris*, n. 18. h. t. Layman. c. *Ex litteris*, n. 4. eod.

§ III.

DE TEMPORE PETENDÆ RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

56. *Restitutio in integrum de facto potest peti intra quadriennium.* — Quæritur I. Utrum restitutio in integrum sit petenda intra quadriennium, ac tempus istud sit utile, vel continuum? Resp. I. Ad petendam restitutionem in integrum de facto conceditur quadriennium. Ita rejectis antiquioribus legibus, annum utilem concedentibus, ac nonnullis inutilibus locorum differentiis, habetur expresse statutum in l. ult. C. de *Temporibus in integrum restitutionis*. Concordat. c. *Ecclesia*. h. t. in 6, ubi dicitur, quod ecclesia post quadriennium non admittitur ad petendam restitutionem contra sententiam, vel contractum; nisi prævaricationis, vel fraudis commentum erga ecclesiam tactum, vel alia rationalis causa istud suadeat. Et hoc est indubitatum: nunc loquendo de altera parte propositæ quæstionis.

57. *Tempus continuum, et utile, quod?* — Notandum est cum Glossa communiter recepta in Clement. un. §. *Continuum*. h. t. et alia Glossa in l. ultim. §. *Supervacuum*. C. de *Temporibus in integrum restitut.*, quod in jure distinguatur duplex tempus, continuum videlicet, et utile. «Tempus continuum» dicitur, quod semper seu continue currit, diebus feriatis et non feriatis, in præsentia et absentia, sive sit copia judicis, sive non, arg. l. ult. C. de *Præscript. longi temporis*. Econtra «Tempus utile» (ut ipsum nomen importat) dicitur illud, quod utiliter præterfluit, seu quo datur facultas utendi. Unde hujusmodi «tempus utile» non currit diebus feriatis, nec diebus absentie, neque diebus, quibus non est agendi copia, arg. c. *Quia diversitatem*. 5. de *Concessionibus Præbendarum*. et l. *Annus*. ff. de *Calumniatoribus*.

58. *Tempus utile est multiplex.* — Porro tempus utile adhuc est multiplex: quia quoddam est continuo utile; quoddam utile quoad sui principium tantum, non vero quoad progressum: quandoque est continuum uno respectu, ut veniant dies feriati; et non alio, quia non currit juste impedito. His prænotatis:

59. *Tempus quadriennii pro petenda restitutione concessi, uno respectu est continuum alio*

utile : idque declaratur. — Resp. II. Prædictum tempus quadriennii pro petenda restitutione, ecclesiis et minoribus, atque probata justa causa majoribus concessum, uno respectu est continuum, quatenus nimirum currit diebus feriatis, et non feriatis; alio autem respectu est utile, quia non currit juste impedito, ac proinde tempus absentiae, vel alterius juste impediti ab eo subtrahendum. Ita Glossa in cit. l. ult. §. *Supervacuum* et Bartolus ibid. §. *Et breviter*. C. *de Temporib. in integrum restitut.* Pirhing, h. t. n. 50, et alii proxime citandi, cum communi. Idque aperte desumitur ex d. l. ult. C. *de Temp. in integr. restitut.*, dum ibidem a principio pro petenda restitutione in integrum conceditur « quadriennium continuum tantummodo : » et tamen circa finem tempus absentiae reipublicæ causa, aut alterius justi impediti, hinc excipiendum, seu in dicto quadriennio non computandum, asseritur. Ex hoc quippe sequitur tempus istud quadriennii ex uno respectu esse continuum, ex altero autem utile : cum non currat juste impedito, licet currat diebus tam feriatis, quam non feriatis. Sequitur ulterius, quod tempus, quo sive per dolum adversarii, sive ex alio legitimo impedimento, ut puta ob absentiam reipublicæ causa, non poterat peti restitutio in integrum, postea debeat suppleri, addendo videlicet tantum temporis quadriennio cæteroquin continuo, quanto duravit ejusmodi impedimentum.

60. *Quadriennium ejusmodi in minoribus incipit currere a prima die vigesimi sexti anni inchoati.* — Quæritur II. A quo tempore currere incipiat quadriennium, pro petenda in integrum restitutione concessum? Resp. I. In minoribus (qui non solum toto tempore minorennitatis possunt petere restitutionem in integrum, sed etiam postea per continuum quadriennium) incipit currere dictum quadriennium a primo die vigesimi sexti anni inchoati, cessante tamen alio legitimo impedimento. Ita textus expressus in cit. l. ultim. *de Temporib. in integrum restitution.*, estque communis.

61. *Exceptis minoribus, qui veniam ætatis impetrarunt.* — Excipe tamen minores, qui veniam ætatis impetrarunt: nam in his computatur dictum quadriennium a die, quo venia ætatis obtenta et intimata fuit, l. l. C. *De iis, qui veniam ætatis impetrarunt.* Quod intellige juxta proxime dicta, cessante videlicet alio legitimo impedimento.

62. *In majoribus, Ecclesiis, quando quadriennium illud currere incipiat?* — Resp. II. In restitutione majorem, sicut et ecclesiarum, præfatum tempus quadriennii incipit currere a tempore, quo læsio contigit, simulque cessavit justa causa absentiae, vel aliud legitimum impedimentum. Ita Glossa in Clem. un. §. *A tempore*; et Barbosa, ibid. n. 5, h. t., citans alios; idque probans ex cit. l. ult. C. *de Temporib. in integrum restitut.*, ubi sancitur, quod tam in minorum, quam in majorum restitutionibus, pro anno utili, qui antiquitus concedebatur, de facto detur quadriennium continuum, et quod istud debeat numerari a die, ex quo annus utilis currebat. Sicque clare habetur, quod sicut olim annus, utpote utilis, ita nunc quadriennium istud a principio sit utile : ac proinde post læsionem primum currere incipiat cessante justa causa absentiae alioque legitimo impedimento petendi restitutionem, licet postea sit continuum, modo supra declarato. Concordat loquendo de ecclesiis, cap. i, h. t. in 6, proxime allegandum.

63. *Non currit ignorantia.* — Atque ex hoc, quod dictum tempus quadriennii a principio sit utile; postea vero continuum, notabiliter inferunt doctores (ut Alexander, consil. 84, n. 3, vol. I, post Baldum in l. *Falsa*, C. *de Fide instrument.*; et card. Tuschus, litt. R. conclus. 298, n. 9 et 16, Engel. h. t. n. 11; Sannig. eod. cap. v. n. 3, aliique plures) quod quadriennium istud, concessum ad petendam restitutionem in integrum, non currat ignorantia; sed incipiat primum currere a die scientiæ de læsione. Et merito : nam tempore ignorantiae factæ læsionis nequit læsus se defendere, aut beneficium restitutionis petere : « quia qui nescit, is videtur experiendi potestatem non habere : » ut dicitur in l. *Annus*. ff. *de Cæmuniat.* Nec obstant nonnulla jura, quæ quadriennium istud a die læsionis esse computandum asserunt. Nam procedunt, quando dies læsionis, et dies scientiæ ejus coincidunt; alias secus.

64. *Ecclesia post quadriennium, an possit aliquando petere restitutionem in integrum?* — Quæritur III. Utrum ecclesia post quadriennium possit aliquando petere restitutionem in integrum? Resp. I. Ecclesia etiam post elapsam quadriennium, a die factæ et cognitæ gravis læsionis computandum, non admittitur ad petendum beneficium restitutionis in integrum; nisi causa rationabilis aliud suadeat. Ita habetur decisum in cap. i, h. t.

in 6, sequentibus verbis : « Ecclesia quæ ad retractandam sententiam, vel contractum, per beneficium restitutionis in integrum, postulat se admitti, si quadriennii spatium sit elapsam, et negligenter omiserit, non est ad beneficium hujusmodi admittenda : nisi prævaricationis, vel fraudis manifestæ probetur super hoc intervenisse commentum : aut alia rationabilis causa subsit, quæ superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum. » Hæc ibi. Ex quo textu tam aperto,

65. *Ecclesiæ competit remedium contra contractus, et contra sententiam tum interlocutoriam, tum diffinitivam.* — Inferitur primo, quod Ecclesiæ aliisque piis locis, intra quadriennium competat remedium restitutionis in integrum, non solum contra contractus, sed etiam contra sententiam tum interlocutoriam, tum etiam definitivam, adversus se judicialiter latam, si ex postfacto, sive per instrumenta de novo reperta, sive per alias legitimas probationes constet, Ecclesiam per hanc fuisse graviter læsam. Patet enim istud ex cit. cap. i, h. t. in 6, argumento a sensu contrario desumpto; et tradit ibidem Barbosa in *Collectan.* n. 2 et 9, asserens, esse communem et indubitatum conclusionem. Concordat. *Cum venissent*. 2 et c. *Auditis*. 3, h. t. et Clem. un. eod.

65. *Sed post lapsum quadriennii non admittitur ad illud, nisi ob probatam collusionem, fraudem, vel aliam rationabilem causam.* — Inferitur secundo, quod post lapsum quadriennii Ecclesia non amplius admittatur ad petendum dictum beneficium restitutionis : nisi in tali sententia, sive contractu, prævaricationis seu collusionis, aut alterius fraudis commentum (hoc est, occultam machinationem, seu deceptionem) intervenisse, probetur per Ecclesiam, sive per prælatos, rectores, aut administratores ipsius (nam qui dolum allegat, tenetur eum probare, cum non præsumatur, l. *Merito autem*. ff. *Pro socio*), vel nisi alia rationabilis causa subsit, quæ moveat judicem ad concedendam restitutionem post elapsam jam quadriennium. Quod ultimum ut melius intelligatur,

67. *Ut si læsio sit valde enormis.* — Resp. II. Causæ rationabiles, quæ præter vitium prævaricationis respectu sententiæ, aut fraudis in contractu commissæ, debeant judicem movere ad concedendam Ecclesiis aliisque piis locis restitutionem in integrum post lapsum quadriennii, sunt plures; potissimum

autem sequentes. I. Si læsio fuerit valde enormis : quia, quod propter enormissimam læsionem possit Ecclesia etiam post quadriennium in integrum restitui; tenet Glossa fin. in cit. cap. i, h. t. in 6, quam approbat Abbas in c. *Requisivit*, n. 2, h. t.; Covarruvias, l. I. *Var resolut.* c. III. n. 11, citans alios quamplures. Idque desumitur ex c. *Ad Ecclesiam*. 2, 11. *de Rebus eccles. non alienand.* ubi talis in integrum restitutio, ob enorme dispendium, post multos annos cuiuspiam monasterio facta legitur.

68. *Aut prælatus male alienans, tanto tempore supervivens.* — II. Quando prælatus male alienans, seu contractu a se celebrato graviter lædens Ecclesiam tanto tempore supervixit. Glossa fin. cit. cap. i, h. t. in 6, et Barbosa, 5, ibid. n. 44; Abbas in cit. et alii. Nam, ex quo lex veresimiliter præsumit, quod prælatus male contrahens non sit venturus contra id, quod temere egit : idecirco quadriennium istud non currit Ecclesiæ, quamdiu vivit prælatus, quo læsa est; per textum notabilem in can. *Si sacerdotes*. 16, q. 3, juncta Glossa ibid. §. *Non ex die*, et §. *Moriendo*, sicque non mirum est, quod Ecclesia justam causam habeat petendi beneficium restitutionis, etiam post lapsum quadriennii a die læsionis computati.

69. *Vel Ecclesia læsa multas interim habuerit mutationes prælatorum.* — III. Quando interim Ecclesia læsa multas habuit mutationes prælatorum. Ex his enim præsumitur justa ignorantia eorum, quæ a prædecessoribus male gesta fuerunt : sicque vel subest rationabilis causa quæ superiorem movere debeat ad concedendum Ecclesiæ restitutionis beneficium post quadriennium, ut vult Glossa fin. cit. cap. i, h. t. in 6. Vel ob tam multas et repentinas mutationes, ac præsumptam justam ignorantiam læsionis, tempus ejusmodi non est computandum in quadriennio Ecclesiæ concessa ad petendam restitutionem; ut tenet Barbosa in d. cap. i, n. 45, h. t. n. 6, citans plures alios.

70. *Ecclesia jure minoris debet semper illæsa servari, quomodo intelligendum?* — Dices In c. *Requisivit*. i h. t. habetur quod « Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari : » atqui minor toto tempore minorennitatis gaudet beneficio restitutionis in integrum; ergo etiam eodem semper gaudebit Ecclesia læsa, et non tantum per quadriennium, ut vult proxime data conclusio. Resp. cum Glossa in cit. c. *Requisivit*. §. *Jure mi-*

noris, et Abbate ibid. n. 16; ac Barbosa in Clem. un. n. 12. h. t. et aliis, maiorem esse intelligendam, quod Ecclesia fungatur jure minoris, qui tactus est major, quia sicut minor, postquam excessit vigesimum quintum ætatis annum, adhuc petit restitutionem in integrum usque ad quadriennium; ita et Ecclesia eam petere potest usque ad quadriennium a tempore cognite læsionis. Non autem, quod sicut minor tempore minorennitatis semper potest petere restitutionem; ita et Ecclesia (etiam cessante alia extraordinaria rationabili causa) semper et absque ulla temporis limitatione, ipsam petere possit: hoc enim est factum, atque in cap. i. h. t. in 6, expresse rejectum, reprobando simul contrariam Goffredi, et aliorum quorundam antiquorum sententiam, ut notat Glossa hic §. *Admittenda*.

71. *Ecclesia in jure minoris debet semper illæsa servari, quomodo intelligendum?* — Neque obstat, quod Ecclesia debeat « semper illæsa servari. » Nam ly « semper » non notat tempus, quod computatur a sua læsione, in perpetuum (oppositum enim determinatur tum in l. ult. C. de Temporib. in integrum restitut., tum in cit. cap. i. h. t. in 6) sed solum vult, quod Ecclesia graviter læsa intra quadriennium, semper sit restituenda, quandocumque et quotiescumque lædatur. Per quod Ecclesia differt a minore, qui non semper restituitur, sed solum usque ad viginti novem annos ætatis suæ: econtra Ecclesia non habet tale determinatum, seu a jure definitum tempus: sed semper sive quocumque tandem tempore lædatur, restituenda intra quadriennium. Siquidem favor religionis, ob quam Ecclesie beneficium conceditur restitutionis, semper durat: non sic fragilitas iudicii in minoribus, postquam effecti sunt majores.

72. *Triplaciter potest Ecclesia lædi, in sententia, in contractu, et in lapsu temporis.* — Quæritur IV. An, et qualiter locum habeat, restitutio in integrum, quando Ecclesia graviter se læsam assertit per lapsum temporis? Triplaciter enim potest accidere læsio Ecclesie, videlicet in sententia, et in contractu (de quibus duobus modis proxime est dictum) et in lapsu temporis: ut si Ecclesia intra decennium non appellavit a sententia contra se lata; aut si intra terminum peremptorium, a iudice statutum, testes et probationes necessarias non produxit, sicque in causa succubuit; vel si intra annum, aut saltem

biennium, appellationem non fuerit prosecuta, juxta c. *Cum sit Romana*. 5. de Appellation., et hujusmodi. Quo prænotato

73. *Ecclesia potest petere restitutionem etiam adversus lapsum temporis.* — Resp. I. Ecclesia potest petere restitutionem in integrum adversus lapsum temporis, in quo graviter læsa fuit. Textus est in Clem. un. h. t. illis verbis: « Ab Ecclesia adversus lapsum temporis in quo se læsam assertit, in integrum restitutio peti potest. »

74. *Tum judicialis, tum extrajudicialis.* — Et quia textus hinc loquitur indistincte, idcirco prædicta Clementina procedit non solum in restitutione adversus lapsum temporis judicialis, sed etiam extrajudicialis, prout notat Glossa in casu cit. Clement. et habetur in simili casu in c. *Constitutus*. 8. h. t. juncta Glossa §. *Consuetudinem*: ubi talis restitutio conceditur minoribus adversus lapsum unius anni et diei, intra quem jure retractus potuissent pretio oblato temere quampiam rem avitam, sed omiserant intra annum hoc facere; restituntur enim in integrum quoad istud jus emendi, sive ut postea oblato pretio possint rem illam retrahere et recuperare, si alioquin graviter læderentur.

75. *Dempto lapsu quadriennii ad petendam restitutionem concessi.* — Fallit tamen conclusio in lapsu ipsiusmet quadriennii ad petendam restitutionem concessi. Quia adversus lapsum dicti quadriennii nunquam conceditur restitutio: alioquin enim daretur restitutio ad implorandam restitutionem, et sic processus in infinitum. Glossa fin. in l. *Interdum de Minorib.*; Barbosa in Clem. un. n. 2 h. t. cum aliis.

76. *Causa restitutionis adversus lapsum temporis, finiri debet intra quadriennium.* — Resp. II. « Causa restitutionis adversus lapsum temporis finiri debet intra quadriennium continuum a tempore læsionis, etiamsi minus quadriennio tempus læsionis existat. » Ita textus expressus in cit. Clem. un. h. t. Unde quod quadriennium restitutionis adversus lapsum temporis concessum, non solum statuatur ad inchoandam, sed etiam ad finiendam litem restitutionis; recte notat Glossa ibid. §. *Finiri*, et Barbosa, ubi supra n. 3, citans alios.

77. *Idemque dicendum de qualibet restitutione in integrum.* — Quinimo Abbas in d. Clem. un. n. 6, h. t., et Mascardus de Probationib. concl. 4282 n. 4, generaliter docent, quod quælibet restitutio in integrum intra

quadriennium peti et finiri debeat, arg. cap. i. h. t. in 6, juncta Glossa ibid. §. *Quadriennii spoliū*, et habet textus notabilis in l. ult. C. de Temporib. in integrum restit.

78. *Quamvis hoc de consuetudine non servetur.* — Verum de consuetudine hoc non procedere. sed hujusmodi quadriennii tempus solummodo ad implorandum restitutionis beneficium observari, idque tam de foro civili, quam ecclesiastico, refert Barbosa, loc. cit. n. 4, post Rebuffum, tom. II, ad leges Gallie, art. 2, Gloss. 1, n. 4, et seqq., et alios.

79. *Ac etiam huiusmodi, quando non per Ecclesiam, sed per iudicem, vel adversarium stat, quominus tam cito terminetur.* — Loquendo etiam de rigore juris, data conclusio patitur limitationem, quando non per Ecclesiam, sed vel per iudicem, vel per adversarium stat, quominus intra quadriennium causa restitutionis terminetur, arg. l. *Petendæ*, in fin. c. de Temporib. in integr. restitut. ac notat Glossa locis proxime citatis. Sic quando per appellationem adversarii causa restitutionis protelatur, non imputatur istud Ecclesie, neque huic præjudicat, sicut nec minori, l. *Intra vitæ*. ff. de Minorib.

80. *Restitutio in integrum adversus lapsum temporis ad quantum tempus sit concedenda?* — Resp. III. Nihilominus, quando conceditur restitutio in integrum adversus lapsum temporis, tunc ista datur solummodo ad tantum tempus, quantum se læsam esse Ecclesia probabit, et non ad longius. Textus est expressus in cit. Clem. un. h. t. Et merito: quia restitutio est alicujus in pristinum statum, seu jus suum repositio, l. *Quod si minor*. § *Restitutio*. ff. de Minorib. Atqui hoc non fieret, si quis ex restitutione obtineret plus de tempore, quam fuerat tempus læsionis, sic enim foret in lucro is, qui restituitur, ac melior redderetur conditio ipsius; ergo.

81. *Duplex tempus in proposito est distinguendum, nempe tempus intra quod, et tempus ad quod.* — Unde Glossa in d. Clem. §. *Si minus*, et Abbas ibid. n. 2. h. t. duplex quoad propositum distinguunt tempus. Unum appellant « Tempus intra quod: » estque illud intra quod petenda est restitutio: atque hoc de facto semper est uniforme, videlicet quadriennium in quacumque restitutione. Alterum vocant « Tempus ad quod; » estque illud, ad quod læsis ex lapsu temporis datur restitutio: atque hoc non est uniforme, sed variatur juxta diversitatem læsionis: quia non fit restitutio, nisi ad tantum tempus,

quantum Ecclesia se læsam esse probabit, juxta sæpe dictam Clem. un. h. t. Unde si ob neglectam a suo procuratore appellationem lædatur Ecclesia in decennio, restituitur ad decennium, si ob non factas ab eo probationes seu non adductos testes intra terminum peremptorium, v. g. unius trimestris, restituitur ad trimestre; et sic loquendo de aliis.

V.

DE CAUSIS, IN QUIBUS RESTITUTIO IN INTEGRUM LOCUM HABET, VEL NON HABET.

82. *Regula, quod minor, et Ecclesia graviter læsa in integrum restituatur, plures patitur fallentias.* — Etsi regula sit, quod minor viginti quinque annis, sicut et Ecclesia graviter læsa in integrum restitui debeat, sive talis læsio oriatur ex sententia contra ipsam lata, sive ex contractu cæteroquin valide celebrato, sive ex lapsu temporis, prout hactenus satis declaratum est, nihilominus hæc ipsa regula plures patitur fallentias, quarum aliquæ habentur clare in jure expressæ; ut sunt illæ, de quibus supra § 2, num. 25 et seqq. jam dictum; nonnullæ autem non adeo expressæ in jure deciduntur, sed etiamnum inter doctores controversantur. Ac de istis potissimum loquendo.

83. *Clericus minorennis in renuntiatione beneficii graviter læsus restituitur, quando hoc alteri nondum est collatum.* — Quæritur I. Utrum clerico minorenni in renuntiatione beneficii ecclesiastici graviter læso, danda sit restitutio in integrum? Resp. I. Quando beneficium necdum fuit alteri collatum, minor talis est restituendus. Ita Glossa c. *Ex parte*. 14. §. *Quamvis minor*; et Abbas, ibid. n. 14 et 15 de Restitut. spoliat. Covarruvias, lib. I, Var. resolut. cap. v, n. 1 et seqq.; Zoesius, h. t. n. 4; Engel, n. 21, et alii, nonnullis tamen exceptis. Ratio est, quia jus generaliter vult, minores graviter læsos esse restituendos: atqui ab hac regula nullibi reperitur excepta læsio minoribus contingens in renuntiatione beneficii; ergo standum regulæ, præsertim cum etiam hic urgeat infirmitas ætatis et immaturitas iudicii. Accedit, quod alioquin clericus minor, qui ex levitate quadam renuntiavit beneficio, unde vivebat, cogeretur mendicare in despectum ordinis clericalis, nisi restitutione in integrum juvari posset.

84. *Minor in beneficiis habetur loco majoris; et quomodo?* — Dices. Minor in benefi-